

aureorum millia Pontifici persolveret, quorum dimidia pars, statim iis receptis; altera vero, sex post exactis mensibus; penderetur. Quod ad Ferrariam spectaret, cum antea centum cataphractis equitibus Ecclesiæ, uti beneficiarius, si occasio, ac tempora tulissent, præsto esse Ferrariensis deberet; subsidium illud annua septem aureorum millium pensione commutatum est; ea conditione, ut Ferrariensis ducatus privilegia Duci Alphonso a Pontifice præstarentur: vades solutionis, fide publica interposita, adfentiente Senatu, undecim e patritia nobilitate cives Clementi præbuit. Eodem ferme tempore magnificæ, & celsæ ædes in urbe, publicæ liberalitatis argumentum, suis majoribus concessæ, Duci restitutæ fuere. Cæsar quoque, Florentinæ Reipublicæ forma immutata, specioso, ac plausibili libertatis nomine tantum relicto, eandem unius imperio subiecit. Nam magistratus eosdem, qui, Mediceis rerum potentibus, in Republica erant, regiminis eodem genere permanente, creari voluit. Alexandrum vero Mediceum, generum, ac Pontificis nepotem, principem Reipublicæ atque caput, cui posteri succederent, instituit. Is, Ducis titulo assumpto, Joannem Bandinum Venetias misit, ut de nuper accepta dignitate Senatum doceret; qui principatum illi officiosis literis est congratulatus.

Joannes
Bandinus
Alexandri
Medicei orator ad Venetios.

M. D. XXXII.

INter belli Turcici suspiciones, & pacis consilia annus M. D. XXXII. vertebatur; cum Petrus Zenus, ac Franciscus Bernardus, qui nuper e Constantinopolitana legatione reversi fuerant, ingentes Suleimani apparatus retulissent, classem numero, ac viribus præpotentem vere novo Hellesponto emissurum nuntiasent; quæ res cunctis Christianis Principibus magnas sollicitudines, & curas injecerant; ac Venetis præsertim, qui annuatim multis triremibus classem augendo, magnis sumptibus publicas, privatasque opes profundere cgebantur. Verum in hac belli suspitione pacis quoque spes aliqua objici videbatur: quamvis enim Joannes Sepusianus, Hungariæ Rex, Suleimani auxiliis, atque opibus fretus, ad certaminis aleam subeundam Ferdinando

H. Mauroceni T. I.

Aa 3

ne-